IN

NOVAM METHODUM

VARIOLAS INSERENDI

COMMENTARIUM.

AUTHORE T. TOMLINSON, CHIRURGO.

BIRMINGHAMIÆ:

Typis R. PEARSON & S. ARIS:

Proſtat venale apud R. BALDWIN, in Pater-noſter-Row, Londini.

MDCCLXVII.

VIRIS PRÆCLARIS

MEDICIS ET CHIRURGIS

PRO SALUTE ÆGRORUM

IN NOSOCOMIO

SANCTI *GEORGII* CONSTITUTIS,

HOC opuſculum indignum licet, vobis dicare ſtatui ob maximam veſtram humanitatem, atque in Medicina & Chirurgia Peritiam: necnon beneficiorum memor quæ vobis faventibus plurima accepi quo tempore in Noſocomio Sancti *Georgii* verſatus eram, illa ut agnoſcam mihi hanc facultatem oblatam eſſe gaudeo.

Birminghamiæ,
1mo. Calend. Jul. 1767.

P R Æ F A T I O.

CUM inter alios ego inductus eſſem novam methodum variolas inſerendi (*Suttonianam* dictam) experiri, in hanc rem quo paratior extarem ex libro quem *Dimſdalius* in lucem edidit omnia quæ uſui forent memoriæ mandavi. His quoque meas obſervationes ſparſim interpoſui, ut rem totam in uno congererem: prima etiam exempla hujus inſertionis quamvis pauciora quæ mihi occurrebant diligenter notabam; nam in hoc oppido gens in commercio nimis occupata parum huic rei animum intendit, & vulgus ei etiam omnino alienus niſi per empiricos allatæ in quos totus præceps ruit; quapropter in uſum communem me diducere poſſe deſperabam. Tamen ut mihi conſtarem, & utilitatem atque ſalutem hujus operis ipſis rebus probarem hunc librum publico dare tandem ſtatui: igitur ut illis ſolum & medicis et aliis quorum mentes quanto eruditiores tanto ſint in me benigniores, hoc ſubjicerem, lingua Latina quamvis forſan inelegantius mihi uti potius videbatur. Sententiæ enim eorum qui in medicina verſantur nimis vulgatæ, magno opprobio ipſæ ſcientiæ magnæque injuriæ aliis ſæpe fuere.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30788195_0001

IN

NOVAM METHODUM

VARIOLAS INSERENDI

COMMENTARIUM.

PARVIS ab inceptis magna & utilia ſæpe oriuntur, opiniones enim omnium eorum qui bonas artes colunt hoc uſque uſui eſſe poſſunt, ut cum recenſui publico proferuntur an rationi conſtent alii judicent; falſisque rejectis certa quædam a veris documenta deducerentur. Paululum quiddam in arte noſtra feciſſe melius eſt quam omnino otio torpere, & quoniam in medicina ineſt tanta varietas ut peritiſſimus quiſque aliquid novi indies excerpat, ſic varios effectus a variis cauſis ortos quicunque diligenter obſervarit aliqua ex parte aliis prodeſſe poterit. Sin aliter mihi contigerit, attamen opus (exiguum licet) meo animo gratum

erit ſi alios quibus ingenium ætas atque experientia magis valeant ſuos proferre labores excitaret.

Cum de inſitione variolarum opiniones variæ, variique transferendi modi diverſis medicis ſtatuebantur; omnes tamen hujus rei utilitatem probantes: ſubito, novus vir, modo inaudito cum ſumma ſalute ſe variolas inſtillare poſſe jactitabat, regimine præter morem frigido, ſub dio ægris perambulantibus, adhibito. Hujus rei veritas cum ab innumeris exemplis comprobata eſſet, aliorum animos incitabat, ut de ratione, modo, uſu & ſalute ejus ab experientia ſua judicarent. Quamvis enim ipſe *Suttonus* medicinæ in novo proceſſu præſcriptæ formulas ut ſibi ſolum notas retinebat; tamen modum operandi, victum, aëris & aquæ frigidæ uſum in febre, celare diu non potuit. Illi enimvero qui ſeſe curæ *Suttoni* commiſerunt, & ejus famam ad cœlum uſque tollere voluerunt, quicquid novum, inuſitatum, perinde igitur ac mirum fuiſſet plane oſtendebant. Dictis itaque variorum, ſua obſervatione & experientia fretus tandem medicus ille peritus *Dimſdalius* novam methodum inſerendi variolas in lucem protulit. Ex quo libro colligatur quid meruit hæc methodus, qua uſui communi diſcrepat, &

qui-

quibus in caſibus eam ſequi debemus. Si diligenter recenſuirimus varios modos inſitionis jamjam ab aliis diverſis temporibus præſcriptos, quos aut noſtra aut aliorum experientia fœlices eſſe probavit, operæ erit pretium inquirere quinam eſſet præſtantior : quod ut clarius eluceſcet, rem a *Dimſdalio* fere totam extractam ſequenti ordine dividere ſtatui, cui etiam meas annotationes interjicerem. De natura autem & utilitate hujus generali diſſerere ſupervacaneum eſt.

De Ætate & Temperamento Ægri.

INfantibus infra annorum duorum ætatem inſitio fieri haud debet cauſis iiſdem quas memorat *Sharpius* ; ne dentitione, febribus, vermibus, & convulſionibus afflicti inopinato periculo ejus famam lædant, neve in ætate tam tenera medicinas capere nequeant. Aliis videtur, ſanguinem in infantibus puriorem, quippe lacte viventibus tutiorem & leniorem reddere inſitionem : quod ſi conceditur quoad ſanguinem, tamen nervi eorum in ætate imbecilla ſæpiſſime irritentur ; quapropter infantes tutius eſt omittere. A ſecundo, ceu potius a tertio, ad ex-

tremum uſque vitæ annum de inſitionis ſalute non dubitandum. Mea quidem ſententia iſta ætas preferenda eſt in qua animi affectus ſicut timor, ſpes, aliique hujusmodi minus valeant: ſenectuti haud ſuaderem: ſenex jamjam diu vixit ab hoc contagio tutus, & in illo ipſa vita cito forſan ceſſabit; præterea, in extrema ætate dura & impervia eſt cuticula, & vaſa abſorbentia pene clauduntur, quo difficilius virus inſitum imbibant. Quod ad temperamentum ſpectat, vix ullum excipimus; humores enim & eruptiones varii generis in præparatione evaneſcent. De ſcrophula nil eſt timendum niſi quod opinio aliorum errans, inſitioni variolarum objiciat culpam habitu corporis innatam. In acutis autem & in criſin tendentibus morbis, in tabe, in cancro, aliisque quibus imminet periculum nullus medicus inſertionem variolarum ſuadere debet.

De Tempeſtate Anni & Cæli ſtatu.

IN vere humores abundant qua de cauſa eruptio variolata major fiat. Sed in omni anni tempeſtate tuta reddi poteſt inſitio variolarum aëris uberiori uſu, niſi quando morbi epidemici & putridi dominantur

minantur, vel in cœlo æſtuoſo. Horum periculis inſerendos ſubjici nolumus. Aëre toto variolarum contagio infecto, conſiderare debemus inſitioni deſignatos iiſdem cum aliis caſibus ab aëris infectione ſubjectos fore: res igitur in magno diſcrimine eſſet: quod ut evitemus ab aëre ita epidemicis morbis infecto fugiendum eſt, quo excepto nulla anni tempeſtas verenda eſt: notandum autem, venenum inſititium omnino eſſe localem neque ab eo aërem hac peſte afflari ullo modo poſſe.

De Præparatione.

IN hac adhibenda ſpatio dierum novem vel decem ob omni uſu carnium, liquoribus fermentatis, cereviſia tenui excepta eaque parce data, ab aromatibus & iis cibis qui calorem ſuſcitant, prorſus abſtinendum eſt. Porro, danda eſt opera, corporibus validioribus & plenioribus tenuandis, imbecillioribus & laxioribus firmandis, quo integræ ſanitati reddantur: quibus modis hoc fieri debet nemo medicorum non norat. Durante hoc regimine Pulvis ſubſequens a *Dimſdalio* præſcribitur.

℞ Pulv. e Chel. Cancr. comp.
Calomel. pp. aa gr. viii.
Tart. Emetic. grani octavam partem. m.

Doſis hæc adultis & fortioribus detur, aliis pro ſexu, ætate, & viribus minuatur : tribus vicibus propriis intervallis ſumenda eſt. De uſu Tart. Emetic. tam exiguæ quantitatis nil dicam. Hanc autem medicinam Tart. Emetic. ſcilicet, optimam eſſe in febribus experti novimus : ejus enim effectus per membranam mucoſam in toto corpore ſibi invicem conjunctam ab alvo etiam ad cutim ſudores excitando, necnon alias ſecretiones vi irritante movendo, ſæpiſſime proſit. De uſu Mercurii in præparando corpus pene omnes conſentiunt medici : atque huic medicinæ non ſolum in præparatione ſed in proceſſu etiam morbi variolati maxime confidere *Dimſdalius* videtur : ſed quibus de cauſis pauca rogarem : Num febrem leviorem, eruptionem minorem alvum ducendo & inteſtina purgando reddi expectat ? Num, contagium inſitivum minuetur varias ſecretiones & glandulоſas & alias incitando? Num, hoc venenum expellere poteſt vi mercurii, ſicut venereum morbum atque (ut alii dicunt) rabiem caninam ? Si mercurius valet in corporibus firmioribus, quid in imbecilioribus faciendum eſt ? Quid in Diarrhæa quæ ſæpe ſuperveniat ? Nonne cardiaca, reſtringentia, & anodyna neceſſaria eſſent ? Quid, ſi mercurius in glandulas ſalivales nimis fluxerit ? Quid, ſi genus nervo-

ſum

ſum aut pus variolatum aut mercurii effectus invaderent ? Quod autem ad mercurii uſum in variolis pertinet, paulo poſt medium proximi ævi præſcriptum in *Europæ* regionibus habuimus et nuperrime ab *Americanis.* Iis morbo venereo laborantibus qui mercurio uſi ſunt dicitur* variolas eodem tempore invadentes ſine ullo diſcrimine leniter ſubiiſſe. Hoc ipſe obſervabam in noſocomio dicto *Lock* ſed in hunc uſum vertere prorſus neglexi.

Non prætermitterem hoc loco dicere, eos, qui integræ ſanitatis vel teneræ ætatis ſunt, breviore ſpatio temporis in præparatione uti poſſe : his equidem conveniat, ut ne prius ingrediantur uſum mercurii quam inſtilletur virus variolatum : eodem tempore ſcilicet recipienda ſit cum veneno hæc antidotus, quod ad ſalutem ſatis eſſe mihi videtur.

De Infectione.

METHODI ſunt variæ quibus inſertio fiat : omnes autem eo tendunt ut per vaſa lymphatica abſorbentia quam minimum puris variolati in ſanguinem tranſeat ; ex morſu enim & ſtimulo venenato

* MEAD de Variolis.

anima-

animalium & inſectorum apparet minimam eſſe ſatis: inciſa cuticula iiſdem locis quibus fontanellæ ſunt factæ & binis lacertis, ut ora vaſorum abſorbentium pateant, virus ab ſcalpro prius eo imbuto ſtatim inſtilletur: de inciſione obſervandum eſt, quod pro altitudine orificia vaſorum lymphaticorum ampliora ſunt, quibus forſan plus veneni abſorberi poſſit: igitur altius incidi vulnus non debet, ut minima vaſa ſolum ſub cuticulam jacentia dividantur: proinde, dum incidimus cavendum eſt ne cutis digitis nimis prematur, ut quam minimum ſanguinis in vaſa lymphatica & in vulnuſculum propellatur. Modus hic quo uti dicitur *Suttonus* cæteris anteferendus eſt quippe ſimplicior; neque emplaſtro neque faſcia opus eſt: extemplo inſtillatur ab alio in aliud corpus pus recens atque calidum quo certior fiat infectio, eo enim ſcalprum imbutum veſpæ ſtimulo ſimillimum eſt; & inſtantanea abſorptione res facta eſt, neque ulla digeſtio ex vulnere fit neceſſaria ut nonnullis videbatur. Aliqui monent ut ex diſcreto genere variolarum et ab ægro boni corporis habitus pus ſuſcipiatur; ſed mea quidem ſententia non ex qua ſpecie variolarum vel ex quo corpore deſumatur ſed in quod immittatur eſt quæſtio:

morbos

morbos alios enim cum hoc veneno inſerere nequimus, quippe pus variolatum e ſanguine ſeparatum nil præter ſeſe generare poteſt : ſed ut etiam minimam culpæ ſpeciem vitemus ægris in hoc eligendo morem gerere ſapientis eſt.

De Statu Vulneris.

CONTAGIO ſuſcepto quid in vulnere appareat diligenter obſervandum eſt ; tertio igitur die color ejus erit citrinus, & cutis quaſi contracta ; ſed hoc etiam in alio vulnere recenti contingat : quarto vel quinto die durities percipitur, partis pruritiam ſentit æger & vulnus inflammatur ; liquor clarus inſtar veſicationis ab igne factæ ſub cutem ſæpe obſervandus eſt : ſexto die axilla dolet & tumet, veneno per vaſa lymphatica in glandulas ibi ſitas recepto : ſeptimo vel octavo die inflammatio creſcit, vulnus apertum fit & innumeris puſtulis confluentibus circundatur ; hæ in progreſſu morbi & numero & magnitudine augentur ; decimo vel undecimo die efflореſcentia formæ circularis vel ovalis cernitur quæ tactui quaſi polita ſed ſine dolore eſt: omnia hæc ſigna genus variolarum benignum futu-

rum prædicant, & quanto citius in vulnere inflammatio oritur tanto lenior erit morbus: evenit autem in quibuſdam, ut ſymptomata jam deſcripta non apparent; nam inciſio colore manet pallido, non tumet neque inflammatur, immo quinto vel ſexto die in dubio eſt infectionem necne ſuſceperit æger, quæ ſi tandem evenerit tamen in tali re verendum ne gravior & moleſtior ſit morbus. In hoc vulnere ut ſupra demonſtravimus nullo emplaſtro & nulla faſcia utimur: in quo recte facimus, nam abſorptione non digeſtione in corpus recipitur virus; præterea, hujus ſtatum & progreſſum in vulnere clarius & accuratius cernere poſſumus.

Quando autem accedente morbo vulnus inflammatur & ex eo ſuppuratio fit, tum equidem digeſtiva leniſſima ſunt applicanda: et quoniam de uſu fontanellarum in variis morbis cutaneis non diſputetur, in hoc præcipue mihi neceſſariæ eſſe videntur, ut ab loco in quo receptum erat venenum eodem expelli poſſit: cum igitur vulnus aperiatur, radicis gentianæ fruſtulo ad longitudinem ejus aptato gradatim & ſine dolore fiant fontanellæ, quæ menſis

ſpatio

ſpatio confecto tutiſſime ſanentur adhibitis eodem tempore purgantibus.

De Proceſſu in Morbo.

QUID porro faciendum eſt aſpectus vulneris & alia ſymptomata docebunt: tertio igitur die ab inſertione quando colorem citrinum & cutis contractionem videmus neceſſe erit doſin pulveris ſequentis adminiſtrare.

℞ Pulv. e Chel. Cancr. comp.
Calomel. pp. aa gr. iii.
Tart. Emetic. grani decimam partem. m.

Quoniam autem hic pulvis minime primo præſcripto diſcrepat, ipſe pulverem ſic comparavi cujus doſin variis ætatibus, viribus, & aliis cauſis aptare poſſit medicus.

℞ Pulv. e Chel. Cancr. comp.
Calomel. pp. aa. ℥i.
Tart. Emetic. gr. xvi optime miſceantur & ſignetur Pulvis Præparativus.

Sexto die ut ſupra diximus, dolor in axilla incipit, optimum ſignum quod appropinquantem eruptionem, & morbi fauſtum progreſſum oſtendit. Sep-

timo vel ſæpius octavo die ſymptomata eruptionis ingruunt; hæc ſunt leves & remittentes in capite & dorſo dolores, quibus ſuccedunt rigores viciſſim & calores donec eruptio perficitur; eodem tempore fætor eſt in halitu & guſtus vitiatur: repetatur igitur doſis pulveris præparativi cum leni aliqua catharſi proximo mane pro re nata. Quando vulnus flaccidum & pallidum ſine inflammatione manet pulvis præparativus omni nocte detur cum eadem catharſi ſi alvus non ſatis reſponderet; uſus hujus medicinæ tanto frequentior quanto tardior ſit inflammatio, quaque ſerius ocius apparet ita de ſalute aut de moleſtia morbi futura ſemper judicandum eſt.

Quoniam autem ad eruptionem ventum eſt quo ſtatu morbi proceſſus novus uſui communi omnino diſcrepat, ſumma ope niti decet ne in lecto neve in conclavi ægri maneant, ſed accedente febre in aëre aperto quamvis frigido perambulent; & ſi ſitis urgeat bibant copioſius aquam frigidam; in hac re proſequenda nullam ætatem ægri, nullam anni tempeſtatem excipimus; in hoc toti ſumus; & eventus ſemper ſe fauſtum præbet. Quamvis primo reluctantes tamen ſi his juſſis quoad vires ſufficiunt obedientes

dientes ſint, cito ſpiritus firmantur, cibum quærunt; dormiunt, ſudant moderate ; eruptio fit benigna & tota febris extinguatur. Res vix credibilis foret, niſi experientia optimo in humanis duce probata exſtitiſſet. De aëris autem liberiori uſu non ſilent authores medici ; *Celſus* enim in ardentibus febribus ſuaſit ; in variolis noſter *Sydenhamus* & aliis alii : hoc quoque ipſe feliciter expertus ſum in noſocomio Pauperum *Birminghamenſi*. Si igitur in febribus peſſimi generis quando vires deficiunt ſaluti fuiſſet aër frigidus nonne in leniore morbo proſit ? Pro certo habeo ut quanto propius ad naturam accedamus tanto melius curare morbos poſſumus.

Sed rogaret aliquis forſan, nonne aqua & aër frigidus eruptionem reprimere poſſint, quod adhuc apud medicos maxime erat pertimeſcendum ? Datur : id enim in hoc caſu de propoſito fit : vir eruditiſſimus *Boërhavius* hoc fieri valde cupiebat. Febris hæc variolata eſt inimica corpori & omnibus modis repelli debet ; & de ſalute non dubitandum cum exemplorum tot millia teſtantur. Quibuſdam obſervatur, multos eſſe homines novitatis avidos, famæ magis quam ſapientiæ ſtudioſos, qui temeritate ſua eti-

am periculoſiſſima tentabunt : cæterum nova tentare haud omnino temeritatis eſt, nam niſi ab experimentis quomodo de cujuſvis rei utilitate certiores nos faciamus ? Verentur nonnulli, effectus hujus morbi vi ſic ſuppreſſi in aliis ſymptomatibus malignos futuros ; ſed nulli rationi conſtare hunc timorem aliis videtur, propterea quod ſi febri in principio obſtamus ipſa cauſa mali & effectus ſimul tollantur. Multi morbi equidem inſitioni ſuccedent, quippe multi homines aliis morbis jamjam laborantes quibus tandem occumberent neceſſe eſt, ſalutem hac re quærunt ; ſed de his non reſpondendum, nam ab aliis morbis ſervare inſitio haud poteſt, ſibi ſalutem ab variolis ſolum vendicat.

Porro, autem obſervandum eſt, multa anomala ſymptomata in inſitione oriri poſſe : quinetiam ab ipſo *Suttono* inſertioni factæ in quibuſdam corporibus febrem ſeveriorem & crebriorem eruptionem aliquando ſucceſſiſſe, non negatur ; ita ut in nonnullis vix ullum fuiſſet diſcrimen quo modus ejus communi præſtaret. Ubi febris igitur violentior ardet, cum ægritudine ventriculi, doloribus gravioribus, aliiſque hujuſmodi malis, non ab aqua & aëre frigido vel mer-

curio

curio ſalus erit, ſed iis malis aliæ medicinæ ut adminiſtrentur neceſſe eſt quas quiſque medicus ad rem parare debet.

In ventriculi ægritudine detur doſis hujus pulveris pro ætate & viribus ægri,

℞ Pulv. e Chel. Canc. (vel Calc. Antimon.) comp. ℈ſs.
Tart Emetic. gr. i. m.

Cum hoc pulvere bibat etiam liquores tenues calidos ad vomitum ciendum, quo ſæpe bilis ejicitur, interdum vel purgatione vel ſudore opem fert. Et equidem pulvere eodem modo compoſito qui ſignatur *Febrifugus ſpecificus* in noſocomio pauperum *Birminghamenſi* & in officina jamdiu uſus ſum; cujus effectus ſicut *Jameſii* pulveris laudati in febribus variiſque morbis maxime valet. In hoc caſu autem ſi non poſt vomitionem ceſſerit ægritudo tum leni purgatione alvus eſt ducenda, et eruptione ſuperveniente omnia mala evaneſcent.

His accedat quoque efflореſcentia eryſipelatoſa cujus viſus variolis confluentibus ſimilis magnum incutere timorem poteſt: attamen in ſymptomatibus comitantibus multo levior eſt, & ſine periculo pro-

priis remediis cedet. Igitur ab aqua & aëre frigido prohibeantur ægri, & ſeſe in domo ſed non in lecto contineant: ſæpius bibant autem hauſtum ſeri lactis cum vino præparati & ſiquando neceſſe fuerit quaſdam medicinas cardiacas capiant; quibus modis hæc eruptio cito & tuto evaneſcet; ex quo nonnulli occaſionem nacti ſunt, more Empiricorum, gloriandi ſeſe medicina quadam ſpecifica puſtulas abigere poſſe non pluribus manentibus quam quibus opus eſſet ægrum certiorem facere ſe infectionem ſuſcepiſſe.

Quando porro in vulnere tardior eſt inflammatio & pallido colore quaſi flaccidum illud apparet, tum, ut ſupra demonſtravimus moleſtiorem fore morbum oſtendit: ad ciendam igitur inflammationem repetatur pulvis præparativus hora ſomni pro re nata cum leni catharſi proximo mane.

Cum autem virus inſitivum præter modum furit alia aliis corporibus ſigna apparebunt quibus ſumma induſtria obviam ire debemus. In rebus enim incertis dare certa remedia non poſſumus. Durante febre in potum communem inſtillare dicitur *Suttonus* medicinam quamdam ſuam quæ ab experimentis ſimilis

milis ætheri vel vitriolico acido edulcorato eſſe probatur : ſpiritus hic acidus uſui eſſe poteſt ad febrim & eruptionem eryſipelatoſam ſupra dictam cohibendam : & eodem conſilio ſpiritus vitrioli jumdudum ab *Sydenhamo* & aliis datus fuiſſet.

Toto hujus proceſſus tempore perſiſtant ægri in uſu regiminis prius præſcripti : ſi autem languidiores eſſent tum juſculum vel vinum capiant : præcipue vero aër frigidus optimum eſt remedium & alexipharmacon. Paucos vidit *Dimſdalius* ita puſtulatos quos domo exire vetuit, ſed plurimi etiam maturantibus puſtulis pervagantur in aëre & quanto fuſius & audacius tanto melius ſeſe habent. Qui levius ægrotant ſua exequi negotia permittantur, qui gravius, paulo diutius retineantur ſub uſu purgantium ſupra præſcriptorum : eruptione finita pullum gallinaceum vel carnem vitulinam edant, ſed a regimine reditus ad plenius ſumma cura ſenſim atque pedetentim fiat.

Obſervanda quædam.

REM totam hanc ſi relegimus nobis conſtabit effectus & caloris & frigoris in corpore humano diligenter notandos eſſe, etiam ea quæ quaſi nocitura perinde plurimis prohibentur, tamen cum in aliis vel caſu aliquo vel neceſſitate contigere, & non ſolum ſine injuria, ſed cum ſumma ſalute præter ſpem ſucceſſerunt, in remediorum numerum recepta eſſe debent: non omnia autem omnibus prodeſſe expectandum eſt, ſed ſequamur tamen ea quæ etſi moribus antiquis contraria, rationi & experientiæ conſtant. Quis ante hoc novum exemplum in febre variolata & eruptione ægros aëri frigido objicere auſus eſt? Tamen exempla ante extiterunt quæ hujus ſalutem demonſtraverunt. Quis aquam frigidam ægris bibendam permittebat? Tamen ſponte ſua ab iis clam feliciter factum erat. In febricula & ſiti quæ in vini plenis nocturnæ potationi ſuccedunt, aqua frigida cupidiſſime bibitur, qua ſudor excitatur & febris evaneſcit: ergo ſi in illis cur non in aliis caſibus fieri debet? & poſſe fieri etiam in variolis naturalibus *Dimſdalius* docet. Tutiſſime ſane in febribus

bribus intermittentibus calore urgente ipſe expertus ſum : & ſæpe ii in rure vitam laborioſam degentes cum febricitantur ſtatim in aëre frigido ſeſe exercere ſolent, quo febris jam ingruens vi dometur.

Ab veneno inſitivo cum febris excitatur non ſanguis ſolum ſed variæ glanduloſæ ſecretiones perturbantur ; quocirca mercurium magno uſui eſſe conſtat : febres variæ ex glandularum præcipue meſentericarum (in quas chylus forſan vitiatus fluxit) obſtructionibus oriuntur ; in quibus vis mercurii prodeſt ; in iis igitur calomela eſt febrifuga ; qua per inteſtina variaſque ſecretiones magna pars contagii variolati deducatur, ut vidimus in aliis morbis cutaneis ſæpe fieri.

Proinde porro ſi mercurius in glandulas ſalivales nimis fluxerit quod nonnunquam accidit, tum ab aqua & aëre frigido ægros cohibendo, alvum ducendo, necnon variis aliis modis eliciatur. Atque equidem cuique medico occurrat, tales hos hoſtes & mercurium & pus variolatum corpore ſimul intromiſſos ſibi invicem contrarios magnas turbas excitare poſſe : qua igitur ex parte uter valeat eo ibidem

G ob-

obſtandum eſt. Præterea obſervarem, uſum mercurii externum eodem conſilio in hac re fore felicem; ſcilicet, (ut in lue venerea ſolemus) *unguenti cærulei fortius* drachma una vel cum ſemiſſe tibiæ inungantur alternis noctibus & leni purgatione fluxus ſalivalis prohiheatur.

Quoniam igitur nonnullis videbatur mercurium eſſe antidotum contagio huic oppoſitum quod eruditiſſimus *Boërhavius* inventum fore ſperabat; *Meadii* verba citare neceſſe eſt in libro de variolis quo *Boërhavio* ſubridere videtur. " Quiſquis (inquit)
" hæc ita expoſita bene perpenderit jure mirabitur
" doctiſſimum medicum *Boërhavium* in animum ſibi
" inducere potuiſſe, ut ſperaret fore fortaſſe ali-
" quando, *ut inveniatur antidotum ſpecificum veneno*
" *huic contagioſo oppoſitum*: quo nimirum illud ita
" penitus extinguatur ut etiamſi corpore receptum
" fuerit morbum non producat. Cæterum tam
" certa ſunt & conſtanti naturæ lege fixa rerum
" principia & ſemina; ut qui hæc permutare velit,
" ſimiliter faciat ac philoſophi iſti per ignem (uti ſe
" vocant) qui dum metalla viliora in aurum tranſ-
" mutare ſatagant, ſpe licet ipſi decipiantur, fumos

" tamen

" tamen ex carbonibus ſuis rerum ignaris & credulis
" hominibus divendunt." His reſpondendum, neminem leges naturæ vel morborum permutare aggreſſurum ; tamen eos morbos præcipue venenatos, forinſecus inductos & corpori inſertos, ſi non prorſus extinguere certe minuere poſſumus variarum ope medicinarnm ; atque hunc quoque mercurii uſu, ſi non ſpecifica virtute quadam tamen per alias ſecretiones eliciendo ; quod equidem fieri poſſe ipſe *Meadius* alio dixit. " Uſque adeo morbo huic con-
" gruit quæcunque humorum expurgatio ; ut eam,
" ſi venenata materia, quod in caſibus fit graviori-
" bus, exuperet, nunquam non moliatur natura.
" Hinc in adultos ſalivæ fluxus, &c." Deinde porro rem propius accedit his verbis, " morbum
" hunc ſi forte poſt inſignem aliquam humorum
" exinanitionem ſive natura ſive arte factam quem-
" quam invadat, plerunque mitiſſimum eſſe." Et ibidem ipſam pene attigit cum memorat omnes facillime ſalvos a variolis evaſiſſe qui in hunc morbum inciderunt eodem tempore quo mercurio in lue venerea utebantur. " Indicium (inquit) certe ſatis
" manifeſtum quamcunque materiæ diminutionem,
" fomitem igne ſubtrahendo huic morbo apprime

 " con-

“ convenire.” Igitur in hac re parum ſibi conſtare videtur. Sed ſumma verecundia in tanti viri ſententias animadvertendum eſt, quibus ſi diſcreparem, ab ipſius verbis jam modo citatis exculpari vellem.

Sed ad rem ut redeam; etſi autem febrem domare & eruptionem cohibere modis jam dictis poſſumus, tamen obſervandum eſt, hanc febrem haud omnino extinctam ſed in forma intermittentis ſæpe redituram & anomalem & incertam fore: ſuccedat etiam eruptio altera. Quæ vero mala curanda ſunt leni purgatione, vel etiam calomela, necnon ſi diutius vexarent, cortice *Peruviano.* Invadat quoque injuria genus nervoſum, quæ manifeſta ſit in tremoribus, ſpirituum languoribus, debilitate, & macie. Hæc ſymptomata maxime pertimeſcenda ſunt; nam ſi in quibuſdam corporibus ſupervenirent, de ſalute etiam aliqua ex parte dubitarem. Igitur quo alii caveant, & in animis ſuis bene perpenderint omnia quæ accidere poſſent eruptione variolata ſuppreſſa hæc ut memorarem officium erat.

Quinetiam in pulmores humor incidat, unde tuſſis cum ſpirandi difficultate excitetur; in hoc caſu (ſicut

(ſicut in pertuſſi quæ morbillorum quaſi ſpecies pulmonibus propria mihi eſſe videtur) venæſectioni opus erit, quæ quidem repetatur ; & ſi gravius urgeat morbus, tum cœlum eſt mutandum, in rure quam ſaluberrimo & amœniſſimo loco lac bibendum, medicinis balſamicis eodem tempore adhibitis.

Poſtremo autem, etſi laus *Suttono* debetur tamen memorare neceſſe eſt modum inſitionis in communem uſum inſtitutum, ſummam quoque ſalutem præbuiſſe ; cui ſi quicquid aliud utilius addere poſſumus, vel mercurii vel aquæ & aëris frigidi uberiori uſu, ab experientia & exemplis omnes medici cognoſcant, & quiſque in ſua civitate tuto experiri poteſt. De arcanis autem gloriari itinerantium & empiricorum eſt.

Exempla.

DEinceps, ut erat propoſitum, exempla quædam referam, quæ etſi omnia ſatis feliciter evenerunt tamen habent multas cautiones. Quanquam enim non amplius quindecem mihi jam occurrerunt quibus novam methodum inſerendi variolas expertus

ſum, in his autem quam accuratiſſime obſervabam quicquid in ſingulos dies notatu dignum accidebat: quibus exemplis quamvis paucioribus aliqua ex parte de aliis hujuſmodi judicandum erit.

Primum igitur, in puerum infra octo annorum ætatem inſertionem modo communi feci, non præter ſpatium dierum duorum regimine præſcripto prius adhibito: nocte ſequenti pulv. præparat. grana octo data erant: tertio die faſciæ & emplaſtra tollebantur: quinto die vulnera aperta, inflammata, & eorum oræ quaſi inverſæ apparebant, hac nocte repetebatur pulv. præpar. cui ter alvus reſpondebat: ſeptimo die, inflammatio in vulnere aucta & veſicatio percepta erat: octavo die, eruptiones plurimæ circa vulnus apparebunt, febris orta erat cum capitis dolore & aliis ſymptomatibus lenioribus: in aëre aperto perambulabat æger & aquam frigidam copioſius bibebat: nono die, dolor in capite fit levior, efflorefcentia ovalis formæ circa vulnus cernebatur: decimo die, febris & dolor capitis omnino cedebant, & eruptiones variolatæ rariſſimæ apparebant quæ nunquam maturabantur; ejuſdem regiminis in uſum perſiſtebat: undecimo die dolor in capite levis re-

dibat

dibat ſed ſine febre: decimo quarto mane, febris cum ægritudine ventriculi invadebat, quæ veſperi remittebat & quam leniter ſubiit: quindecimo die, eadem febre leniore autem, cum ægritudine urgente infuſionem florum chamæmeli bibendam juſſi cum pulv. febrif. ſpecif. gr. vi. debitis intervallis pro re nata; ex quo febris omnino extincta erat, & quædam ſtrumæ ſymptomata in glandulis ciliaribus cum ea evaneſcebant, atque æger ex hoc morbo cito ſanus fuit purgantibus non neglectis.

In hoc caſu ſicut in aliis quibus mercurio, aqua & aëre frigido uſus fui, notandum eſt, morbum variolatum etſi non naturam tamen ſpeciem ejus mutaſſe videri: quoniam enim per vaſa lymphatica receptum in ſanguinem infundebatur hoc venenum, tamen ſignis comitantibus communi generi variolarum prorſus diſcrepabat; quippe in facie tumor nullus, quippe in puſtulis pus vix ullum fuit: ſemina ipſa morbi pene extincta membranam celluloſam inflare nequibant, quo minus aërem atque corpora humana inficere ex hac ſpecie (niſi per inſitionem) poſſumus. Manet igitur mihi quæſtio, quæ ut poſteris prodeamus inquirenda ſit, annon morbo ita pene ex-

tincto in parentibus, multo quoque lenior reddatur necne in eorum progenie.

In puellam octo annorum ætatis inſitionem variolarum modo novo feci: illa quidem ſeptimo die ægrotavit leniter autem ſatis & eodem regimine cum aliis ſub dio perambulantibus utebatur: puſtulæ pauciſſimæ poſtea apparebant ſed non maturabantur; ex vulneribus vix ulla materies fluebat, & die undecimo ea etiam exſiccata erant: eodem die febris ſecundaria urgebat ſed veſperi ceſſit: decimo tertio die, febris gravior fuit cum doloribus in tibiis, ſiti, tremore, necnon macie: pulſus celer ſed debilis erat: quapropter pro morbis ſyſtematis nervoſi valde timebam: in hac enim puella ab uſu mercurii in præparatione glandulæ ſalivales nimis fluxiſſent, qua de cauſa repetere non auſus fuiſſem. Periculo ut obſtarem aliis remediis utendum erat, quibus febris lenior fiebat, & ob debilitatem ægri vinum cum regimine lautiore præſcriptum fuit. Decimo quarto die febris intermittens ſolum invadebat, gravior autem decimo quinto, ſed ſequenti die remittebat & cortex *Peruvianus* adminiſtrabatur. Decimo octavo die, diarrhæa ſuccedebat ſed propriis remediis cito

cito curata erat. Ab hoc ad viceſimum ſecundum diem, viribus refectis, cibum quærere & placide dormire incipiebat: paucisque diebus in rure lac bibendo ad priſtinam valetudinem rediit.

Monendum autem ex hoc caſu, ut in quibuſdam corporibus mercurius ſumma cautione adhibeatur: quinetiam vero danda eſt opera poſt finitam eruptionem diæta generoſior ſit, veluti in aliis morbis putridis, quo plus materiæ in puſtulis fiat quibus quanto plenioribus tanto tutior æger evadat: eodemque conſilio ſuppuratio copioſior ex vulneribus eliciatur.

In puerum ſeptem annorum ætatis contagium variolatum inſerebatur, propterea quod ab uſu mercurii & regiminis in hoc morbo ſperabam ſcorbuticam quandam eruptionem in illo poſſe ſanari; neque in hac re ſpes me fefellit. Octavo die ſymptomatibus febris ingruentibus, ex lecto ægro ſublato in aëre aperto vellem ut perambuletur. Sed nullis modis ſuadere mulieribus potui ut in hoc perſiſterent: nam me abſente ad morem priſtinum redibant. Igitur tumor in facie cum plena maturatione puſtularum ſed diſcreti & benigni generis ſuccedebat: et

cum adeo res proceſſerat tutius eſſe ipſe æſtimavi ut in methodum communem æger ſeſe gereret: aëri autem uberius utebatur me inſtante & tutiſſime ad ſanitatem reddebatur. Ab hoc ægro vero alia ut inficirentur corpora periculum erat, quod haudquaquam accidiſſet ſi ad meum præſcriptum res ageretur.

Caſus cæteros enarrare non neceſſe eſt quibus nihil notatu dignum accidebat. In duos efflorescentia eryſipelatoſa apparebat ſed ſine ullo diſcrimine evaſit. Tribus clam mihi, urgente ægritudine liquores calidi adminiſtrabantur quibus febris exacerbabatur, qua perterrita mater eorum ad aquam frigidam & aërem refugiebat, & febris cito repreſſa fuit. In duos alios, tumores in axilla & prope claviculam morbo ſuccedebant; qui non ſine gravi moleſtia ſuppurabantur: igitur de ſyſtemate glandularum cavendum eſt, in quibus itaque circuitu humorum lentiſſimo, fit ut quodcunque infunditur venenum iis diutius retineatur; quo in ſanguinem recepto febris putridi generis invadat ſignis variis anomalis comitantibus, vel ſuppurato, hoc ſequatur in-

com-

commodum ut quo altius præ loci naturam pus lateat eo difficilius vulnus ſecari aut ſanari poſſit.

Quoad ſaltem effectus morbi nil interfuiſſe videbatur an filamento linteolo veneno imbuto vel ex ſcalpro infectio erat ſuſcepta : idcirco utriſque pro occaſione data indiſcriminatim utebar : acrior enimvero eſt illa materies quæ prima fermentatione in vulnera inſitivorum generatur, eo igitur præferenda quo aptior & certior ad infectionem eſt.

Denique obſervarem, ut ab uſu mercurii, aquæ & aëris frigidi contagium variolatum diminutum fore non dubitandum : adeo uſque ut ex hac ſpecie inſitiva vix ulla materies producitur, exacto nempe variis modis veneno : quo fit ut rariſſime in alia corpora ex hoc infectio tranſire poteſt ; nemo enim injuriam ſuſcepit ab inſitivis in hoc oppido etiamſi cum aliis illi incautius verſabantur. Sed quo diſcrimine vel ab nervorum vel glandularum malis ſupprimatur eruptio variolata aliorum judiciis permittam. Nam neque in hanc neque in alteram partem nimis me duci vellem ; in communem inſitionis methodum morbus forſan erit fœdior, in novam

incertior : in illam de inſtante periculo, in hanc de futuro malo cavendum eſt. Poſtremo igitur, in ſummam apprime conveniat adagium illud, *in medio tutiſſimus ibis.*

F I N I S.